



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KOŠICIENSIS* NOVA EXARCHIA**

APOSTOLICA PRO FIDELIBUS BYZANTINI

RITUS IN SLOVACCHIA CONSTITUITUR KOŠICIENSIS APPELLANDA

Ecclesiales communitates, in orbe terrarum sparsae, quamvis varias prae se ferant formas, in unum tamen conspirant et fidelium spiritalem prosperitatem cunctae persequuntur. Nos autem omnium Ecclesiarum tueri volumus legitimas religiosas consuetudines itemque contendimus et studemus, ut floridorem statum per proprium ritum illae adipiscantur. Nunc de Slovachiae gente ritus Byzantini cogitamus deque eiusdem commodiore famulatu. Itaque, postquam hac de re Venerabilem Fratrem Nostrum Angelum S.R.E. Cardinalem Sodano, Secretarium Status audivimus, iudicavimus opportunum nonnulla loca iurisdictione Episcopi Presoviensis distrahere et novam Exarchiam condere. Quapropter Apostolica Nostra de auctoritate novam Exarchiam pro fidelibus ritus Byzantini constituimus, *Košciensem* appellandam, cuius sedes in urbe Cassovia locabitur et Cathedrale templum sacra aedes Nativitatis Beatissimae Geneticis Dei Mariae erit. Haec deinceps Exarchia immediate Sedi Apostolicae subicietur et totam regionem civilem Cassoviensem complectetur. Omnes porro sacerdotes Eparchiae Prešoviensis, qui in paroeciis dicti territorii ministerium praestant, novae Exarchiae ipso facto incardinabuntur similiter et Seminarii tirones ex iisdem paroeciis provenientes ad novam circumscriptionem pertinebunt. Ad haec perficienda, consuetudines iuraque congrua serventur et quae a Codice Orientali praecipiuntur, nihil quibusvis rebus minime offidentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo primo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo septimo, Pontificatus Nostri undevicesimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	ACHILLES card. SILVESTRINI <i>Congr. pro Eccl. Orient. Praef.</i>
---	--

*A.A.S., vol. LXXXIX (1997), n. 7, pp. 439-440

© Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana